INDEX

SCHOLARVM

IN VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXLV 1845

A DIE VII APRILIS VSQVE AD DIEM XIV AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

M. H. E. Meier
Commentatio de Plauti Trinummo

HALAE

TYPIS HENDELIANIS.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

I. F. G. EISELEN

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Cum esset ei, qui haec commentatur, nec opinanti impositum, ut perscriberet inter paucissimos dies, quae aliquo modo possent his scholarum tabulis prooemii loco esse, quod temporibus exclusus non potuit meditata proferre, indulgendum ratus est extemporali cuidam audaciae atque proferenda, quae satis habebit, si aequis iudicibus non plane temere effutita videbuntur, sed Subitorum sive Subito cogitatorum nomen recte possidere apparebunt; nam „Verisimilium" vel „Probabilium" inscriptionem ne ipse quidem adfectat. Pertinebunt autem ad unam Plauti Trinummum.

De huius fabulae aetate qui nuper luculenter commentatus est *Fridericus Ritschelius* (Indic. Scholar. Univ. Bonnens. 1843.), is egregie demonstravit quid commissum ab iis esset, quicumque ante se in hac quaestione essent versati, non vero demonstravit, certe nobis non demonstrasse videtur, quod ipse evidentissimum dicit argumentum ad tam ancipitem quaestionem prorsus dirimendam. Etenim cum in iis, quae iocabundus sycophanta ait IV. 2, 148.

Enimvero sero quoniam huc advenis
Vapulabis arbitratu meo et novorum aedilium,

qui dicuntur *novi aediles*, non alii possint intellegi quam qui recens munus capessiverint, magistratus autem inde ab a. 487 usque ad a. 600 Idibus Martiis aditos esse constet, recte hinc colligit Ritschelius, Trinummum neque Romanis ludis, qui Septembri, neque Plebeiis, qui Novembri mense facti sint, doceri potuisse, non recte autem hinc efficit oportuisse Megalensibus scenae committi, quippe qui Aprili mense habiti sint, itaque uno tantum mense ab anni initio abfuerint, quia vero Megalenses anno demum 559 primum scenici facti sint, eam fabulam anno 559 non posse priorem esse. Etenim plane tacuit de funebribus, quibus ludis etiam ipsis fabulas scimus editas esse, atque Trinummum eo probabilius est actam esse, quod sic tum tempus ludorum editorum statui licet vel propius et paucos tantum dies ab tempore aditi magistratus abfuisse, tum argumentum fabulae ad severitatem quandam morum et tristitiam compositae in funebres ludos magis convenit quam in Megalenses. Namque coercitionem in histriones ut sub imperatorum dominatu praetoribus ita olim lege vetere aedilibus perpetuo, id est non in iis tantum ludis, quos ipsi ediderint, sed in omni tempore et loco permissam fuisse arbitramur (cf. *Sueton.* Aug. 46).

*

Ne vero satis habere videamur, si ostenderimus, quid in coniectura speciosa displiceat et cur eo loco in hac de anno Trinummi quaestione non utendum putemus, quo usus sit Ritschelius, age alium indicemus locum, quo maxime utendum arbitramur, ut non quidem annum, nedum mensem aut ipsos ludos, sed tempus quoddam fabulae editae discamus. Extat is III., 2, 69, ubi Lesbonico sororem in matrimonium sine dote dare propterea recusanti, ne hinc detrimentum capiat honoris, respondet Lysiteles:

Quid te dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?

Id frigeret vehementer, si esset multum post annum **552** a. U. scriptum; nam post eum annum non amplius ad dictaturam descensum est, donec Sulla iniustum novumque dominatum eo nomine celaret. Peropportunum autem et lepidum est, ubi vel hoc anno vel paullo ante est dictum; dictatorem enim Roma habuit Plauti quidem aetate annis **537** (*Liv.* XXII, 8), **538** (*Id.* XXIII, 22), **541** (*Id.* XXV, 2.), **544** (*Id.* XXVII. 5.), **546** (ib., 32.), **547** (*Id.* XXVIII, 10. XXX, 27), **548** (*Id.* XXX, 23), **551** (*Id.* XXX, 24. 26) et **552** (*Id.* XXX, 39). Trinummus igitur commissa est scenae ludis funebribus post annum **542**, quo de Campanis supplicium est sumptum atrocissimum, ad quod versus II, **4**. **142** spectant, et ante annum **553**; inclinat autem animus, ut non infra annum **548**. a. U. descendendum arbitremur.

Tantum de tempore Trinummi. In ipsis verbis fabulae ad suam integritatem revocandis multum ut olim praeclara *Godofredi Hermanni* opera, ita, ut alios taceam, nuper praestitit egregia *Friderici Ritschelii* disputatio, cuius qui ante aliquot menses editus est „Atheteseon Plautinarum liber primus" in una Trinummo ab interpolationibus liberanda continetur. Verum ne his quidem propositum erat illa cum pulvisculo everrere, atque supersunt sordes, in quibus eluendis aliorum hodieque exerceatur industria, id quod e re erit paucis cuiusvis generis comprobare exemplis. Namque primum prava interpunctione aliquotiens damnum fecit fabula, nondum compensatum et restitutum. Sic quod I, **2**, **89**, **90** legitur. Me. *Emistin' de adulescente has aedes, quid taces, Ubi nunc tute habitas?* Ca. *Emi, atque argentum dedi, Minas quadraginta adulescenti ipsi in manum.* Me. *Dedisti argentum?* Ca. *Factum, neque factum piget*, vix verum est, immo rescribendum: *Minas quadraginta.* Me. *Adulescenti ipsi in manum Dedisti argentum?* — In fine eiusdem scenae v. **180** sqq. extat: *Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, Unde quidque auditum dicant, nisi id appareat, Famigeratori res sit cum damno et malo. Hoc ita si fiat, publico fiat bono*, in hoc prior sententia ineptam habet apodosin, id quod removeris, ubi sic rescripseris: *dicant, et, ni id appareat, famigeratori res sit cum damno et malo, hoc ita si fiat, publico fiat bono.* — III, **2**, **9**, sq. cum librorum scriptura sit: Ly. *Tuae rei bene consulere cupio.* Le. *Tu mihi es melior, quam egomet mihi? Sat sapio, satis in rem quae sint meam, ego conspicio mihi.*, Hermannus: *Melior tu es quam egomet mihi*, Lindemannus vero: *Tu mi es melior quam ego mihi* rescripsit neque sine ratione a poeta dicit hic repetitum videri illud „mihi;" quae autem ea sit ratio, tacet. At vero Lesbonicus arrogantius dixisset, quam eius ingenium fert, si „sat sapio" dixisset. Ut consulamus hominis modestiae, rescribe: *Tu mi es melior quam ego? Mihi Sat sapio, satis etc.* — III, **2**, **72**, sq. scribitur: *Scio equidem te, ani-*

matum ut sis; video, subolet, sentio. Id agis, distinguendum est autem: — *ut sis. Video, subolet, sentio, Id agis.* — Ibid. **94** sqq. est: *quid ego nunc agam, Nisi ut sarcinam constringam, clupeum ad dorsum accommodem, Fulmentas iubeam suppingi soccis; non sisti potest. Video caculam militarem me futurum haud longius*, ubi distinguendum est: *soccis. Non sisti potest, Video caculam.* — In III, 3, 3, ubi est: Call. *Namque hercle honeste fieri ferme non potest, Ut eam perpetiar ire in matrimonium Sine dote, quom eius rem penes me habeam domi.* Me. *Parata dos domist, nisi expectare vis, Ut eam sine dote frater nuptum collocet, Post adeas tute Philtonem et dotem dare Te ei dicas*, frustra laborarunt interpretes in explicandis verbis „parata dos domist," atque erant, qui „paranda" rescriberent. Immo scribe et distingue: *quom eius rem penes me habeam domi, Parata dos domi sit.* Me. *Nisi expectare etc.* — Legitur IV, **2**, **83**: *Quis homo est me insipientior, qui ipse egomet, ubi sim, quaeritem.* Ibid. **92**: *Sed ego sum insipientior, Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem.* Ibid. **110**, sq.: *Quid ais tu nunc? si forte ipsum Charmidem conspexeris — Noverisne hominem.* Distinguendum est autem: *qui, ipse egomet ubi sim, quaeritem*, in altero loco: *qui egomet unde redeam, hunc rogitem*, in tertio: *Quid ais tu? Nunc si forte.*

Verum illa fortasse leviora videbuntur. Graviora quaedam vitia possunt una et altera litterula mutata tolli. Nam IV, **2**, **72** Charmides postquam sycophanta recommentus est, ei, a quo accepisse se simulat epistolas, nomen esse, cui C. littera principium sit, recte ex eo quaerit, sitne id nomen Callias, an Callippus, an Callidemides, an Callinicus, non recte quaerit, sitne „*Callimarchus*"; nam id plane nihili est. Sed scribendum est: „*Calliarchus*," quod probe Atticum est nomen fuitque, ut hoc utar exemplo, praetori anni Ol. **119**, **4**. — In IV, **2**, **77**., ubi libri Pall. hoc praebent: Sy. *Ad hoc exemplum est.* Ch. *an Chares? an Charmides? num Charmides?*, illic igitur recte et Palmerius post „est" interposuit „*Char*," et Hermannus „an" ante „Chares" sustulit; sed cum duplex nomen Charmides ferri nequeat, prioris loco Acidalius „*Charidemus*," Bothius eumque secutus Goellerus „*Charmadas*" substituit, quorum hoc nihili est, illud nimis ab vestigiis librorum recedit. Nobis „*Charmylus*" placet, quod, ut rarius, poterat eo promptius abire in notum Charmidis nomen. Innotuit id nomen nuper ex titulis Rhodiorum et Coorum (cf. *Ross Inscrr. Ined.* III, **274**. **306**). — III, **3**. **72** Megaronides dicit: *Uxorem quoque etiam ipsam hanc rem ut celes face; Nam pol tacere numquam quidquamst, quod queat.* Nae illud edepol est in unam uxorem Calliclis conferre culpam, quae communis est sexui; ut hac rusticitate Megaronidem liberemus, rescripserimus: *queant.* — IV, **3**, **35** malumus: *Nam epistolae illae mihi concenturiant metum*, nam de duabus agitur epistolis, item IV, **3**, **39**. *Non hoc publice animum advorti.* „Dass das nicht von Staats wegen bestraft wird." In libris est „epistola illa — concenturiat" et „Nonne hoc."

Aliud est vitiorum genus, quod sanari possit transpositionibus. Id quattuor exemplis illustrabimus. Eorum unum pertinet ad III, **3**, **62**. sqq. *Sed epistolas quando obsignatas afferet, Si quidem obsignatas attulerit epistolas, Nonne arbitraris tum adulescentem annuli Paterni signum novisse.* Hic alterum versum iis laborare difficultatibus, ut locum suum tueri nullo modo possit, luculenter evicit Ritschelius (Athetes. p. **20**.), sed quod eundem tamquam spurium abiiciendum censuit, paullo audacius est factum. Etenim idem versus, qui quo nunc extat

loco, ferri nequit, paucis versibus post vehementer desideratur. Illi enim Charmidis dubitationi sic respondet Megaronides. *Etiam tu taces? Sexcentae ad eam rem caussae possunt colligi, Illum, quem habuit, perdidit, alium post fecit novum.* **63.** *Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest, Apud portitorem eas resignatas sibi inspectasque esse.* Apparet aliquid hic deesse, quod et oppositum sit illis „Iam si obsignatas non feret" et pertineat ad haec „Illum, quem habuit, perdidit — novum." Itaque rescribendum videtur:

v. **63.** *Sexcentae ad eam rem caussae possunt colligi,*
Illum, quem habuit, perdidit, alium post fecit novum,
Si quidem obsignatas tulerit epistolas.
Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest,
Apud p o r t i t o r e s eas resignatas sibi inspectasque esse.

Ita enim scribendum videtur, cum „portitores" extet et infra v. **81.** *Lepida est illa caussa, ut commemoravi, dicere, Apud portitores esse inspectas* et apud *Terentium* in Phorm. I. **2, 100.** *Sed epistolam ab eo adlatam esse audivi modo et ad portitores esse delatam.* Credibile est enim portorium quidem singulis quoque portitoribus solvi licuisse, unde in *Trin.* IV, **5, 15** dicitur „*Solutumst portitori iam portorium*" et in *Asin.* I, **3, 7.** „*Ego pol istum portitorem privabo portorio,*" epistolas vero non esse nisi ad portitores plures delatas et a portitoribus inspectas. Lepidus est Taubmannus, qui ex hoc, de quo agitur, loco apparere contendit litteras peregre latas portitoribus esse commissas, ut pote qui eas deinde curarent omnibus noti. Non id arbitrarere notandum, nisi transisset in libros nudius tertius editos, etsi iam diu est cum *Petri Burmanni* doctus de vectigalibus pop. Rom. commentarius rectam rei rationem satis aperuit (p. **57**). Portitoribus enim, quo nomine publicanos portorii redemptores aliquando appellatos esse Asconius fidem facit; in omnibus autem scriptoribus, quotquot quidem aetatem tulerunt, eius vectigalis exactores, id est non publicani, sed publicanorum operae dicuntur, atque hoc quidem loco *πεντηκοστολόγοι* significantur, qui in Piraeeo quinquagesimam exigebant (cf. *Boeckh.* Oec. Civ. Athen. I. **336.** sqq.), portitoribus igitur ne qui ad fraudandum vectigal aut inscriptum clam e portu exportarent aut scriptarum et vectigali obnoxiarum rerum iusto minus pretium profiterentur, excutere et sciscitari licebat omnia neque sarcinas tantum sed etiam litteras qualescumque aperire, unde factum est, ut in quemvis importunum investigatorem et scrutatorem contumeliae caussa „portitoris" nomen iaceretur, veluti in Plauti Men. I, 2, 6. *Portitorem mihi domum duxi. Ita omnem mihi rem necesse loqui est, quidquid egi atque ago.* Docet hic quoque locus enarrationem Plauti hodieque fere eodem esse gradu, in quo Taubmanni diligentia fuerit collocata, eique aliquanto etiam magis quam verbis ad criticas regulas revocandis defuisse emendatores et correctores. Idem apparebit tibi, ubi, ut hoc utamur, contuleris, quae in versum IV, **2, 16,** ad verba sycophantae „*Ipsa ornamenta a chorago haec sumpsit suo periculo*" (sc. Megaronides) explicanda nuperus commentatus est editor repetiitque etiam in editione „multum emendata," quae paucis abhinc mensibus venit ad auras. *Tum qui histriones conducebant pecunia sua et instruebant, c h o r a g i dicebantur. Erant etiam choragi praefecti apparatus scenici, unde choragium locus post scenam, ubi omnia ad ludos necessaria as-*

servabantur, *die Garderobe.* Neque enim choragi nomen umquam apud Romanos, nedum apud Graecos aut in eos, a quibus histriones conducebantur, aut in praefectos apparatus scenici conveniebat. Immo apud Romanos — nam de Graecorum consuetudine hic non agitur — is videtur „choragus“ dictus esse, qui accepta mercedula ornamenta, id est vestes et quaecumque ad vestitum pertinebant, ea quidem lege locabat, ut sibi redderentur, ubi iis non esset amplius opus, non redditarum autem vestium pretium solveretur. Eius opera utebantur imprimis pauperiores homines, ditiores tum demum, ubi aliquem ex miseris famelicis ad sua ministeria conducebant; illi ditiores tum etiam cavebant chorago de restituendis ornamentis; metuebat enim hic, ne a paupere nebulone circumveniretur et ornamentis locatis destitueretur. Sic in Plauti Curculione choragus ipse, cuius ornamentis ornatus est nugator similis ei, qui in Trinummo sycophantias struit, ille igitur IV, 1 profitetur: „*ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere, quamquam cum isto mihi negoti nihil est, ipsi Phaedromo credidi, tamen asservabo.*“ Choragi opera usos nonnumquam etiam aediles esse ad histriones exornandos colligas ex *Plauti Pers.* I, 3, 79. Sa. *πόθεν ornamenta? To. Tu abs chorago sumito, Dare debet, praebenda aediles locaverunt*, quamquam possunt haec festive potius quam serio esse dicta. Verum indidem explicanda est notissimorum versuum amaritudo, quibus notabatur coena secretior Augusti, in qua Deorum Dearumque habitu discubuisse convivae ferebantur: *Quum primum istorum conduxit mensa choragum, Sexque deos vidit Mallia sexque deas.* Sic enim illis convivis non solum contaminatae et pollutae religiones sed conductus etiam vestitus exprobratur, qualis in plebeios tantum homines cadebat. — Neque vero „choragium“ id unum erat, quod dicitur fuisse; immo quamquam Graecis χορηγεῖον s. χορήγιον is dicebatur locus, in quo et choreutae docebantur et omnis erat choragi apparatus (cf. *Athen.* X, 456, f. XII, 546, a. *Phrynich.* P. S. in *Bekk.* An. I, 72. 18. *Poll.* IX, 42. IV, 106. *Hesych.* s. v.), apud Romanos tamen „choragium“ omnis ornatus vestitusque vocabatur, qui ut funebris, ut nuptiarum, ita etiam scenicus poterat esse, sed scenicus addito verbo significandus erat, id quod fit, ut his utamur exemplis, in *Plauti* Capt. Prolog. 61. *Nam hoc paene iniquum est, comico choragio conari de subito agere nos tragoediam* et in *Apulei.* Apolog. p. 282, 1. „*thymelicum choragium*“; nam suapte sponte nihil ei voci inest, cur de scenico potius quam de alio apparatu dicatur. De choragiis autem post scenam constitutis, de quibus *Vitruvius* V, 9 disserit, tacere nunc praestat, ne abuti expatiandi libertate videamur. — Supersunt in Trinummo etiam alii loci, quorum explicatio non huic convenit litterarum luci, qua gloriari solemus, veluti II, 4. 69, ubi agitur de populari coena.

Sed redeundum est, unde digressi sumus, et afferendum alterum exemplum corruptelae transpositione sanandae. Extat illud IV, 2, 95 sqq. Quae enim illic legantur, non suo esse loco apparebit reputantibus, primum Charmidis et sycophantae sermonem non oportuisse post tantum, tam diuturnum de nomine, quo sit sycophanta, colloquium inter eos iam v. 42 sqq. institutum, eo versuum intervallo ad eandem de nomine quaestionem sic redire, ut ne verbo quidem significetur eo redire, sed facile credas rem plane integram esse eamque nunc primum commemorari; dein interrumpi illo sermone iustum ordinem rerum illic enarratarum; nam et quae ante v. 95 extant et quae post v. 97 leguntur, utraque

pertinent ad iter a sycophanta confectum. Quare videndum est, sintne hi versus ante v. 47 collocandi in hunc modum. *Agedum nomen memora tuom primum mihi.* Sy. *Magnum facinus incipissis petere.* Ch. *Quid ita?* Sy. *Quia pol, Ante lucem si ire occipias a meo primo nomine, Concubium sit noctis priusquam ad postremum perveneris.* Ch. *Opus facto est viatico ad tuom nomen, ut tu praedicas.* Sy. *Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium.* Ch. *Quid*) illud est nomen, adulescens?* Sy. *Pax, id est nomen mihi, Hoc cotidianumst.* Ch. *Edepol nomen nugatorium, Quasi dicas, si quid credideris tibi, Pax periisse illico. Hic homo solide sycophanta est.*

Tertium exemplum extat in Lysitelis oratione III, 2, 34, quae nunc ita comparata est, ut primum versui 39, verbis „*Pernovi equidem imperitum, Lesbonice, tuum ingenium admodum*“**) iunctura desit, dein ut cohaerentiae sermonis officiatur; nam versus 39 — 47, quibus tum Lesbonici proxime praegressae orationi respondetur, tum excusatur Lesbonicus vel potius ea quae egerat, male interpositi sunt inter vv. 34 — 38 et 48 — 52, quorum utrisque idem est consilium, ut moneant Lesbonicum de iis, quae impendeant ipsi, si facere pergat, quae conatus sit. Itaque transponendi sunt versus in hunc modum vv. 39 — 44. 46. 45. 34 — 38. 48. „*Pernovi equidem imperitum, Lesbonice, tuum ingenium admodum, Scio te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi Pectus obscurasse, atque ipse teneo amoris omnis vias. Ita est amor, balista ut iacitur; nihil sic celere est neque volat, Atque is mores hominum moros et morosos efficit. Minus placet, magis quod suadetur; quod non suadetur, placet. Ille, qui aspellit, is compellit, ille qui consuadet, vetat. Quom inopia est, cupias; quando eius copia est, tum non velis. Insanumst et malum in hospitium devorti ad cupidinem. At meam operam sic perire et haec te corde spernere, perpeti nequeo; simul me piget parum pudere te. Et postremo nisi me auscultas atque hoc, ut dico, facis, Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor. In occulto iacebis, quom te maxume clarum voles. Sed te moneo hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas etc.*

Quartum exemplum extat IV, 4, 43. Nam versus: *Hoc qui in mentem venerit mihi, reipsa modo commonitus sum* ponendus est ante v. 48., ut cum eo cohaereant verba Stasimi *Nam ego talentum mutuum quod dederam*; alioquin „nam“ non haberet, quo posset referri.

Superest quartum vitiorum genus, quod in lacunis constat. Huius duo afferamus exempla, quorum unum apparet ex IV, 2, 78. Sy. — *Qui istum di perdant.* Ch. *Dixi ego iamdudum tibi, Bene te potius dicere aequomst homini amico quam male.* Cum enim in iis, quae extant, nihil illis simile ab Charmide dicatur, intercidisse aliquid videtur, quo id spectare possit. Alterum exemplum est post III, 2, 98. Nam hic unus et alter versus desideratur, qui transitum muniat in v. 99. Sed haec accuratius persequi nunc non vacamus.

Dab. Hal Saxonicis a. d. pridie Kal. Mart.

---

*) Ita de coniectura scripsimus; in libris est: *quid tibi est nomen.*

**) „*Admodum*“ hic coniungendum est cum „*imperitum*“ neque vero cum „*pernovi.*“ Ceterum certa versus ratio nobis nondum constat.